



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

1 Vtrum Catechismus debeat præcedere Baptismum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

alium ritum ex parte huius personae esse necessarium ex Ecclesiae ordinatione, nisi forte, quod spectat ad aliqua vestimenta sacra, quibus ornari debet minister, qui sacramentum Baptismi solemniter ministrat: de quibus seruanda est Ecclesiae consuetudo, & officium Romanum, seu alij recepti rituales libri consulendi. Communis tamen usus obtinuit, vt minister solemniter baptizaturus, saltem superpellicio & stola amictus sit. Quem stola usum antiquissimum esse in hoc ministerio, colligi potest ex Theodoro lib. 2. Histor. capit. 27. vbi refert, Constantinum Machario, Hierosolymorum Episcopo, stola ex aureis filis contextam dedisse, vt ea amictus sacrosancti baptismatis munus obiret. Quarta circumstantia, seu ceremonia adiungi potest praecedenti, scilicet susceptor, seu parrinus, quae spectare videtur ad circumstantiam, quibus auxiliis, nam susceptor ab Ecclesia introductus est, quasi in auxilium ministri: & vt eius opus ex parte suscipiat, de quo satis dictum est supra, q. 67. art. 7. & 8.

Quinto loco numerare possumus circumstantiam: Quid, qua voce proprie & in rigore sumpta, substantia ipsius actionis significari potest, & hoc sensu, quod hic praecipue fit, est substantia ipsius sacramenti, quae consistit in ablutione sub tali verborum forma, debita intentione facta: quod sub hac praecisa ratione non pertinet ad ritum accidentalem: de quo agimus: sed ad substantialem, tamen in ipsa materia & forma, vel circa ipsas aliquid obseruatum, seu adiunctum est ab Ecclesia, quod nos dicimus pertinere ad ritum accidentalem ex parte huius circumstantiae. Et in primis ex parte formae pauca obseruare possumus, quae ad accidentalem ritum pertineant, eaque satis notata sunt supra, disp. 21. scilicet, quod forma exprimat verbis ab Ecclesia vitatis, & in eo idiomate, quo ipsa in publicis officiis ac caeremoniis vititur. Rursus hoc loco annumerari possunt benedictiones aliae, seu deprecationes, quas sacerdos cum aliis actionibus adiungit in ipso baptismo, de quibus statim dicemus. Praeterea ex parte materiae duae caeremoniae seu ritus considerari possunt. Vnus est ex parte materiae proximae, quae est ablutio: ad quam pertinet, quod fiat per immersionem in aquam, vel trinam, aut per aspersionem. De qua re satis in superioribus dictum est, disputatione 20. Alter est ex parte materiae remotae, quae est aqua, ad quam spectat, vt aqua prius benedicatur, & consecratur, quam ad usum baptismatis assumatur: quamquam enim hoc non sit de substantia sacramenti, vt satis constat ex supra tractatis disputatione 20. & ideo necessitate urgente, quacumque aqua naturalis possit per fici baptismus, vt habetur etiam in Decretis Victoris Papae, 1. Tom. Conciliorum, nihilominus antiquissima Ecclesiae consuetudo obtinuit, vt prius aqua benedicatur, seu sanctificetur. Vnde Dionys. ca. 2. de Eccles. Hier. Sacra, inquit, appellatione inuocationeque sanctificationis aquis, cum eas trina vnguenti perfusione, & crucis specie perfectis, &c. Vnde Basil. ibi de Spiritu sancto, c. 27. hanc dicit esse Apostolicam traditionem. Idem lib. 6. contra Iulianum, c. 8. & sermo, 181. de tempore, vbi dicit, crucis signo sanctificari fontem baptismatis. Idem sermo, 19. de Sanctis, & tractat. 118. in Ioannem, & libro 50. Homiliarum, in homilia 27. Ratio vero huius caeremoniae praecipua & potissima esse videtur, vel vt conciliet maiorem reuerentiam circa hoc baptismi sacramentum, vel vt nobis significet Spiritus sancti gratiam, quae per ablutionem huius aquae, & virtutem passionis Christi, (vnde haec aqua vim suam & efficaciam habet) mirabiliter & infallibiliter, ex opere, vt loquuntur Theologi, operato baptizatis confertur. Hec enim videtur significari in infusione olei cum benedictione & crucis signo. Aliqui etiam ex Patribus significant, hanc consecrationem aquae adhiberi, vt virtutem accipiat regenerandi: sic enim scribit Cypr. epist. 70. Oportet

Theodor.

Qui ritus obseruandi sint circa formam.

Qui ritus circa materia obseruandi.

Vit. 7. ap.

Dionys.

Basil.

Cur aqua bene lita & consecrata baptismum praestet

mundari & sanctificari aquam prius a sacerdote, vt possit baptisio suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere. Vnde postea colligit, qui non pot aqua sanctificare, nec baptismum dare posse: & Ambr. lib. de ijs, qui mysterijs initiantur, c. 3. Aqua sine praedicatione dominicae crucis ad nullos vsus futurae salutis est: cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lauacri, & salutis poeuli temperatur. Et lib. 1. de sacramentis, c. 7. Non aqua omnis sanat, nisi Sp. S. descendit, & aqua illa consecraverit: & subdit inferius, vsus hoc habet, vt ante fons consecratur, & tunc descendat, qui baptizandus est, &c. loquitur ergo Ambr. de consecratione aquae prauiam ad baptismum: & illam dicit esse necessariam. sic etiam Augustinus libro de vtilitate penitentiae, capitulo 1. Non est, inquit, aqua saluta, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, & crucis aqua signatur. Sed haec Patrum testimonia sano modo interpretanda sunt: non est enim verisimile eos credidisse, hanc accidentalem sanctificationem aquae esse de necessitate baptismi: sed illam aquae consecrationem, quae fit per sacramentalem usum, & coniunctionem formae sacramentalis cum aqua, ex qua habet vim sanctificandi, iuxta illud Augustini tractat. So. in Ioannem: Quae est tanta virtus aquae, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo: tamen quia haec ipsa veluti substantialis consecratio per aliam caeremonialem significatur ideoque indistincte de consecratione aquae loquentes dicunt Sancti, aquam non sanctificare, nisi fuerit in Christo consecrata. Indicant etiam, ex vsu Ecclesiae, fuisse hanc consecrationem necessariam, non necessitate sacramenti, sed praecipue adeo vt, iuxta Ecclesiae consuetudinem, quamuis in solemnibus baptismis soleat in ipso baptismo consecratio aquae praemitti, nihilominus pro his, qui necessitate baptizantur, soleat aqua consecrata seruari, vt ea baptismus perficiatur, vt ex Cyrillo Hierosolymitano catechesi 5. & Optato Mileuano, libro quinto contra Parmenianum, & ex alijs veterib. colligit Pamelius in annotationibus ad Tertullianum, libro de baptismo, cap. 4. num. 27. Quin etiam obseruare licet ex Alcuino, libro de diuini offic. ca. de sab batho Pascha, fuisse solitos fideles de aqua sanctificata baptisterij secum deferre ad aspergendas domos, &c.

Sexto loco recenseri possunt omnes caeremoniae, quae ex parte personae, circa quam baptismus exercetur, adhibentur, quas Diuus Thomas ad duas reuocat: baptismum scilicet & exorcismum: & sub eis alias minutiores complectitur, de quibus in Commentarijs articulorum commodius ac breuius dicemus. De circumstantia vero, quomodo, nihil addere oportet: quia in praesenti nihil addit ab alijs caeremoniis, seu earum collectione diuersum: na omnes adhibita sunt, vt baptismus conuenienti modo fiat: & hic conueniens modus in hoc solum consistit, quod cum substantiali ritu seruetur accidentalis in alijs actionibus seu conditionibus, quae baptismum circumstant. Solum ergo superest, vt circa D. Thom. textum pauca notemus.

ARTICVLVS I.

Vtrum catechismus debeat praecedere baptismum.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod catechismus non debeat praecedere baptismum: per baptismum enim regenerantur homines in vitam spiritualem. Sed prius homo accipit vitam, quam doctrinam. Non ergo prius debet homo catechizari, id est, doceri, quam baptizari.

2. Praeterea, Baptismus exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris, qui non sunt doctrinae perceptibiles, eo quod non habent usum rationis. Ergo ridiculum est eos catechizari.

3. Pro.

3. Præterea, In catechismo consistit catechizatus suam fidem. Sed pueri non possunt suam fidem confiteri, neque se ipsos, neque etiam aliquis alius pro eis: tum quia nullus potest alium ad aliquid obligare: tum etiam, quia non potest aliquid scire, vtrum pueri, cum ad legitimam ætatem pervenerint, assentient fidei. Non ergo debet catechismus precedere baptismum.

Sed contra est, quod Rabanus de instructione clericali dicit. Ante baptismum, catechizandi debet hominem prævenire officium, ut fidei primum catechumenus accipiat. rudi mentum.

Respondendo dicendum, quod (sicut supra dictum est) baptismus est fidei Christiana sacramentum, cum sit quedam professio fidei Christiana. Ad hoc autem, quod aliquis fidem accipiat, requiritur, quod de fide instruat, secundum illud Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audiverunt? Quomodo autem audivent sine prædicante? Et ideo ante baptismum convenienter præcedit catechismus. Unde & Dominus præceptum baptizandi discipulis tradens, præmittit doctrinam baptismi dicens: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.

Ad primum ergo dicendum, quod vita gratia, in qua regeneratur aliquis per baptismum, præsupponit vitam naturalem rationalem, in qua homo potest esse participans doctrinam.

Ad secundum dicendum, quod sicut mater Ecclesia (ut supra dictum est) accommodat pueri baptismi aliorum pedes, ut veniant: & aliorum cor, ut credant: ita etiam accommodat eis aliorum aures, ut audiant, & intellectum, ut per alios instruantur. Et ideo eadem ratione sunt catechizandi, qui sunt baptizandi.

Ad tertium dicendum, quod ille, qui pro puero baptizare responderet, Credo, non prædicat puerum crediturum, cum ad legitimum ætatem pervenerit, alioquin diceret, Credit: Sed profertur fides Ecclesia in persona pueri, cui communicatur, cuius sacramentum ei attribuitur, & ad quam obligatur per alium. Non est enim inconueniens, quod aliquis obligetur per alium in his, que sunt de necessitate salutis. Similiter etiam pater pro proprio respondens promittit se operam daturum ad hoc, quod puer credat. Quod tamen non sufficeret in adultis, vtrum rationis habentibus.

COMMENTARIUS.

Vo attingit D. Thomas in hoc articulo: unum de catechismo adultorum, aliud de catechismo parvulorum, & de utroque aliquid notandum est. Circa primum distinguere possumus duplicem catechismum adultorum, scilicet substantialem (ut sic dicam) & ceremonialem: substantialem voco eum, qui per se & ex natura rei, supposita institutione & hinc baptismi, necessarius est ad conveniendam vsum huius sacramenti, licet non sit simpliciter de essentia eius: & hic catechismus consistit in sufficienti instructione & doctrina rerum fidei ac morum: atque hic catechismus fundamentum habet in verbis Christi, Matt. ult. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: vtrum recte notavit & explicuit Basil. Hom. 1. de baptismo. Et ne quis existimaret (quod aliqui etiam heretici opinati sunt, ut refert & impugnat Aug. lib. de fide & operibus) esse tantum necessariam doctrinam de credendis, non autem de agendis, addit Christus, Docentes servare omnia, quecumque mandavi vobis. Atque ita semper in Ecclesia servatum est, ut ante baptismum sufficiens catechismus præcederet. Unde Act. 2. prius Petrus fidem prædicavit, & penitentiam agendam esse docuit, & deinde, qui receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & similiter capit. 8. Philippus prius catechizavit Eunuchum, & deinde baptizavit illum.

Alter catechismus, quem ceremonialem vocamus, ad priorem ordinatur, & illum includit, solusq; Franc. Suarez. Tom. 3.

addit specialem quendam modum & ordinem ab Ecclesia institutum, & observatum in catechumenorum instructione & preparatione ad baptismum. Primo ergo, qui animum ad Christianam fidem applicabant, ad res fidei audiendas admittebantur prius, quam baptismum peterent, & hi generali nomine solent vocari catechumeni, specialiter autem dicuntur audientes, ut distinguantur ab aliis, qui competentes vocantur, ut notat Rabanus, lib. 1. de institut. Cleric. c. 26. ex Isidoro lib. 2. de Ecclesiast. officiis, c. 21.

Secundo igitur, qui iam omnino decreverant fieri Christiani, baptismum petebant, & sua nomina dabant, ut constat ex Dion. c. 2. de Ecclesiast. Hier. Unde Clemens epi. 3. Accedat, qui baptismum vult ad sacerdotem, & nomen suum det: & Aug. 1. de fide & operibus, c. 6. Hoc, inquit, fit multo diligentius & instantius his diebus, quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina se dederunt: & li. de cura pro mortuis agenda, c. 12. Pascha, inquit, appropinquabat: dedit nomen inter alios competentes: & li. 9. confessionum, ca. 6. de se catechumeno sic scribit: Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavimus, similia repetit epist. 115. Cyrill. Hierosol. catech. 1. Intra sti eo loco dignus habitus, nomen tuum inscriptum est. Idem sumitur ex Dion. c. 12. de Ecclesiast. Hierar. & ex Conc. Carthag. 4. c. 85. & habetur de Consecrat. d. 4. ca. Baptizandi, secundo. Et iuxta hæc fortasse intelligendus est can. 7. Concilij 1. Constantinopol. ubi hic ordo præscribitur servandus circa eos, qui recte fidei adscribi volunt: Primo, inquit, die ipsos Christianos facimus: secundo catechumenos, tertio exorcizamus, & tunc eos baptizamus: Est n. in his verbis difficile intellectu, quid sit Christianos facere ante catechismum & baptismum: unde nihil aliud esse videtur, quam eos annumerare, & adscribere inter electos ad Christianismum (sic, eos vocat Leo Papa epist. 4. capit. 5. & 6.) Unde sit verisimile, ea nomina, que tunc catechumeni dabant, non fuisse antiqua gentilitatis nomina, sed ea, que baptismum suscipiuri sibi eligebant: que futura erant, non gentilitium, sed Sanctorum nomina, iuxta id quod sanctum est in Concilio Nicæno, can. 30. apud Turrianum: ubi etiam dicitur, nomina Christianorum imponenda esse in baptismo, sed intelligendum est, ita fuisse imponenda, ut ipsi ea sibi eligant, si sint adulti, vel parentes seu susceptores, si sint parvuli. Et quamvis huiusmodi nomen dicatur imponi in baptismo, non est necesse, ut ipso die baptismatis, seu cum ipsa ablu-tione simul imponendum intelligatur, sed satis est, quod in initio ipsius ritus baptismalis eligeretur, seu daretur nomen. Atque ita etiam in ritu baptizandi infantes, quem nunc servat Ecclesia, statim in foribus Ecclesie, in initio catechismi interrogat minister: quo nomine vocari vis? & respondent patrum Petrus, vel Ioannes. Ita ergo ex initio servatum esse in adultis: quod scilicet ea nomina, que in initio catechismi dabant, erant illa, que in baptismo, seu Christianismo sibi imponenda eligebant, que nomina scripta in Ecclesia servabantur, ut colligitur ex capit. Legum Ecclesiasticarum, 2. q. 1. Potest etiam hoc colligi ex Eusebio, lib. 7. Hist. cap. 20. & lib. 8. capit. 21. & Niceph. lib. 6. c. 22.

Tertio post peritum baptismum, & datum nomen inchoabatur catechismus, ut ex prædictis decretis colligitur, præsertim ex D. Dionysio Areop. d. cap. 2. m. Clemente dicta epist. 3. Ambrosio lib. de ijs, qui imitantur, Cyrillo Hierosolymitano in catechesibus. Cyril Hierosol. Augustino lib. de fide, & operibus, cap. 9. & sequentibus: & Tertulliano in lib. de baptismo. Qui omnes docent non solum de rebus fidei, sed etiam de his, que ad mores pertinent, fuisse illo tempore catechumenos instructos, nec solum edoctos, sed etiam in ieiuniis, orationibus, aliisque pijs operibus eo tempore fuisse exercitos, ut diserte docet Syricus Papa

G g 3 epist.

Rabanus, Isidor.

Dionys, Clemens, Aug.

Cyillus, Hierosol, Dionys, Con. Carth.

Concil, Constantinopol.

Leo Papa, Quæ nomina dabant catechumeni.

Conc. Nic.

Eusebio, Nicephor.

Quibus instruebantur catechumeni.

Ambros, Cyril Hierosol, August.

Tertull.

Quam diu durabit catechismus, Syric. Pap.

Leo Papa. Iulianus martyr.

Concil. Constantinop.

Con. Car.

Burcharius

Syriscus.

Rupertus.

Rupertus.

Martinus Burchar.

De scrinio

Rupertus. Rabanus. Alcuinus.

Leo Papa.

August.

De signo crucis

August.

Dionys Cyprian.

Ambros.

epist. ad Himerium Tarraconensem, cap. 2. De quare nonnulla supra attigimus, qu. 68. artic. 5. & 6. & Leo Papa epist. 30. Iustus Martyr apologia 2. pro Christianis circa fin. Sed interrogabit fortasse aliquis, quanto tempore durare oportebat in huiusmodi catechismo & exercitatione. In hoc nihil inuenio satis aperte scriptum, nam in dicto cano. 7. Concilij Constantinopolitani solum dicitur: Si eos catechizamus, seu iniciamus, & curamus ut longo tempore verferentur in Ecclesiis, & audiant Scripturas: & in idem redit, quod in Conc. Carthag. IV. c. 85. dicitur. Diu sub abstinentia vini & carniuni: & manus impositione crebra examinati baptismum percipiant: apud Burcharium autem lib. 4. c. 15. ex decretis Clementis sic legitur: Si quis fidelis voluerit existere, accedat ad sacerdotem, & det nomen suum, atq; ab eo audiat mysteria regni caelorum, ieiuniis frequentib. operam impendat, ac semetipsum in omnib. probet, ut tres mensiam consummando in die festo possit baptizari. Syricus vero loco citato dicit eligendos esse ad baptismum, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomē dederint, & exorcismis, quotidianisq; orationib. atq; ieiuniis fuerint expiati. Rupert. vero l. 4. de Officiis Eccles. c. 18. agens de feria 4. quarta hebdomadae quadragesimae, sic inquit. Cuncta pene Ecclesia da quadragesimae, sic inquit. Cuncta pene Ecclesia proles, qua per annu verbo praedicationis noua gignere poterat, instante solemnitate Paschali, hac die sua nomina dabant, & c. q. si hoc verum est (ut credendum est) in 25. diebus, qui ab eo die vsq; ad sabbathu sanctu intercedunt, durabat Catechismus competitium: ex quo nomina sua dederant. Et fortasse iuxta hanc Ruperti historiam intelligendū est decretum Concilij 2. Bracharenlis, c. 1. refertur in c. Placuit, §. 6. q. 1. & in c. Ante viginti, de Consecr. d. 4. vbi sic dicitur: Episcopi docere debent ignaros, & hoc modis omnib. praecipere, sicut antiqui canones iubēt, ut ante viginti dies baptismi ad purgationē exorcismi concurrant catechumeni, in quib. viginti dieb. omnino catechumeni symbolū doceantur. Fortasse n. ille numerus cōpletus pro incōpleto positus est: vel certe, quamuis eo die, quē Rupert. designat, inciperent nomina dari, non tñ erat necessariū oēs eo die describi, sed infra quatuor, vel quinq; dies: ita tñ vt saltem vigesimo die ante baptismū oēs essent descripti, quomodo in c. 49. ex Collectis à Martino Bracharenli Episcopo dicitur, non licere ante duas septimanas Pascha, sed ante tres ad baptismum suscipere aliquem. Vel deniq; (quod verisimile est) non fuit in hoc vna omnium Ecclesiarum consuetudo: nec fortasse in omnibus Ecclesiis fuit certus dierum numerus designatus, sed iudicio prudentis Episcopi, vel parochi committebatur, ut tunc eos admitteret, cum sufficienter instructos, ac dispositos iudicaret.

Quarto notantur ab authorib. nonnulla caeremonia, quae specialiter in hoc catechismo fiebant. Primo dicitur serutinium, ut videre licet apud Rupertum, Rabanum, & Alcuinum locis citatis, & alios autores, qui de officiis Ecclesiasticis scribunt: ut enim certius exploraretur, an vera esset catechumenorum conuersio ad fidem, fiebant ab Ecclesia septem serutinia infra illos 25. dies, a die, quo dabant nomina vsque ad diem baptismatis: & de his loquitur Leo Papa epist. 4. c. 6. cum ait, catechumenos prius scrutandos esse, & August. de fide, & operibus, cap. 6. Catechizantur, exorcizantur, seruantur: & lib. 2. de simbolo, c. 1. & l. 4. c. 1. idem satis aperte significat. Secunda caeremonia est, quod catechumeni sepius signabantur signo crucis, per quod sacrosanctum signum (teste D. August. supra) in vtero sanctae matris Ecclesiae catechumenus concipitur: fiebatq; hoc signum in fronte, ut ex B. Dionysio euidenter colligitur, c. 2. libri sui de Eccles. Hierarch. & S. Cyp. epi. §. 6. & ferm. de lapsis, Augustino de catechizandis & instruendis rudibus, c. 20. & epist. 118. & concione 2. in Psal. 36. & Ambros. lib. de his, qui initiantur, cap. 4. Credit, inquit, cate-

chumenus in cruce Domini Iesu, qua & ipse signatur. Tertia, & solemnissima caeremonia est abrenunciatio Satae, quam late describit B. Cyrillus, Hierosolymitanus Episcopus, catech. 1. Mythologica, & Cyprius eius sepe meminit etiam D. Dionysius supra, & Clementis lib. 7. constitur. cap. 41. & 42. & Tertullian. lib. de spectaculis, c. 1. D. Basilus lib. de Spiritu sancto, c. 27. Origenes hom. 8. in Exod. Ambros. locis supra citatis, & lib. 1. Hexameron. c. 4. Augustin. supra, & lib. 1. de Peccat. merit. & remis. c. 34. Chrysost. homil. 21 ad populum, & D. Bernardus sermō. quem habuit de duplici baptismo. Colligitur autem idipsum ex titatis Patribus, praesertim ex D. Dionysio, Cyrillo, & Ambrosio, solum fuisse catechumenum conuertit ad occidentem: facta vero renuntiatione conuertit solum ad orientem ad significandum hominem baptizandum debere, spreto daemone, Christum inueniri, ut ait Ambrosius de eius, qui initiantur, capit. 1. seu caelum aspiciere, Christoque coniungi, ut ait Dionysius. Quarta erat fidei professio, quae sepius fiebat illis catechismi diebus, & ipso etiam baptismatis die, per publicam symboli confessionem, ut ex Dionysio, & aliis Patribus citatis constat, & ex Concil. Carthagin. 1. c. 1. & ex Cyrillo Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 64. vbi ait. Hinc (id est, ex trina interrogatione Christi facta ad Petrum) Ecclesia regulam tertio interrogandi eos accepit qui ad baptismum accedunt, ut terna Christi confessione fidelib. adnumerentur. Et ex Ambr. lib. 2. de sacramen. c. 7. Augustino de fide & operib. c. 11. Cur, inquit, baptizandis, vel symbolum tradimus, vel reddendum reposcimus? Idem sepe in libro de symbolis, & lib. 2. Confes. cap. 2. Hieron. dialog. contra Luciferianos: & Terull. lib. de spectacul. Aquam Trinitatis ingressi Christianam in legis suae verba profiterentur, Idem late Cyprian. lib. 1. epi. 12. Ratio autem harum omnium caeremoniarum est, ut per eas Catechumeni in fide confirmantur, & perfecte ad Deum conuertantur, ut de vtroque satis Ecclesiae constat. Ex quo interdum apud antiquos Patres legitur, inter baptizatum, & Christum seu Ecclesiam inri patum eum promissio. Vnde Urbanus 1. epist. decretalis, §. 6. Hortamur, inquit, ut sponsonem, quam Domino in baptismo fecistis, firmiter teneatis, & eodem fere modo loquitur Ambrosius libro 1. de sacramen. c. 2. Vbi promissis, considera, vel quibus promissis, chirographum tuum teneas, non in terra, sed in caelo. Imo Isidorus lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, cap. 24. Ista duplicem dicit intercedere pactionem: alteram renuntiationis diaboli, & pomparum eius: alteram fidei in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Sed non est intelligendum de proprio voto, seu promissione Deo facta, sed de obligatione, quam ipsamet professio Christianae religionis, quae in baptismo fit, inducit ratione diuinae legis à Christo latae, & potestatis Ecclesiae suae concessae. Et haec de Catechismo adultorum.

Altera pars doctrinae D. Thom. in hoc articulo est de catechismo infantium, quem infideles irridunt, ut ex Dionysio, & aliis Patribus statim citandis constat: quia infantes, nec possunt in fide instrui, nec diabolo renuntiare, & Christum amplecti: neque alij pro eis possunt id affirmare, aut profiteri, cum ignorent, quid ipsi paruuli postea acturi sunt, aut deliberraturi. Nihilominus tamen hic modus catechismi paruulorum: quem nunc eisdem fere caeremoniis Ecclesia seruat, antiquissimus est, ut patet ex Dionysio de Eccles. Hier. cap. ultimo, in fine, & Augustin. epist. 23. & libro 4. de baptis. cap. 24. & ferm. 10. & 14. de verbis Apost. & Isidorus lib. 2. de offic. c. de Baptismo, & significat etiam Iustin. qua. 56. ad Orthodox. Fit autem hic catechismus in paruulis primo, ut in eis perficiantur ea, quorum ipsi sunt capaces, & ita eis tunc nomen imponitur, & signo crucis signantur. Secundo, ut susceptores admoneantur de obligatione, qua tenentur ad instituendos infantes: & ideo

ideo manus suas imponunt capiti baptizandi, & nomine eius symbolum profitentur, & orationem Dominicam recitant. Tertio, vt quasi solemni professione confitent, non minus manere obligatum paruum baptismatum ad fidem & religionem Christianam, quam si propria voluntate baptismum suscepisset. De qua re satis in superioribus dictum est.

ARTICVLVS II.

Virum exorcismus debeat precedere baptismum.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod exorcismus non debeat precedere baptismum. Exorcismus enim contra energumenos, id est, arripitios, ordinatur. Sed non omnes baptizandi sunt tales. Ergo exorcismus non debet precedere baptismum.

2. Præterea, Quamdiu homo subiacet peccato, diabolus in eum habet potestatem, quia, vt dicitur Ioan. 8. qui facit peccatum, seruus est peccati. Sed peccatum tollitur per baptismum. Non ergo ante baptismum sunt homines exorcizandi.

3. Præterea, ad arcendam demonum potestatem introducta est aqua benedicta. Non ergo ad hoc oportebat aliud remedium adhiberi per exorcismum.

Sed contra est, quod Celestinus Papa dicit. Siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniant sacramentum, non prius fontem viæ adeant, quam exorcismus & exufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abiciatur.

Rispondeo dicendum, quod quicumque sapienter aliquid agere proponit, prius remouet impedimenta sui operis, vnde dicitur Hierem. 4. Nouate vobis nouale, & nolite ferre super spinas. Diabolus autem hostis est humano salutis, que homini per baptismum acquiritur, & habet potestatem aliquam in hominem, ex hoc ipso, quod subditur originali peccato, vel etiam actuali. Vnde conuenienter ante baptismum expelluntur demones per exorcismos, ne salutem hominis impediatur: quam quidem expulsiōnem significat exufflatio. Benedictio autem cum manus impositione, præcludit expulsiōnem, ne redire possit. Sal autem in os missum, & narium & aurium spuro limbo, significat receptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures, & approbationem, quantum ad nates, & confessionem, quantum ad os, Olei vero unctio significat aptitudinem hominis ad pugnam contra demones.

Ad primum ergo dicendum, quod energumeni dicuntur, quasi interius laborantes ex inuisibili operatione diaboli. Et quamuis non omnes accedentes ad baptismum corporaliter ab eo reuertentur, omnes tamen non baptizati, potestati demonum subiiciuntur, saltem propter originalis peccati reatum.

Ad secundum dicendum, quod in baptismo per absolutionem peccati includitur potestas demonum ab homine, quantum ad hoc, quod impedit eum a perceptione gloriæ. Sed exorcismi excludunt potestatem demonum, in quantum impedit hominem a perceptione sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod aqua benedicta datur contra impugnationes demonum, quia sunt ab exteriori: sed exorcismus ordinatur contra impugnationes demonum, quia sunt ab interiori. Vnde & energumeni dicuntur, quasi interius laborantes, illi qui exorcizantur. Vel dicendum, quod si quis in remedium contra peccatum, secundo datur penitentia, quia Baptismus non iteratur, ita in remedium contra impugnationes demonum secundo datur aqua benedicta, quia exorcismi baptismales non iterantur.

COMMENTARIVS.

De hac materia, & de exorcismi antiquitate multa supra attigimus, de ceremoniis sacramento-

rum in genere disputando, & in particulari de exorcismo, quatenus ante baptismum præmittitur, tractant Dionysius capit. 2. de Ecclesiastica Hierarch. & Celestinus Papa, quem hic D. Thom. citat in epist. 1. ad Episcopos Galliarum, cap. 12. & Concil. Bracharense, 2. cap. 1. & Chrysostom. homil. de Adam & Eva. Aug. lib. 6. contra Iulianum, c. 2. & lib. 1. de Gratia Christi, c. 40. & lib. 2. de peccato originali, cap. 24. & lib. 2. de nuptiis & concupiscentia, cap. 17. & 18. & lib. 5. Hypognosticon, & lib. 3. contra Cresconium capit. 3. & 4. & ser. 10. de verbis Apostoli, & lib. de Ecclesiast. dogmatibus, cap. 31. in quibus locis ex hac cerimonia exorcizandi catechumenos colligit, demonem habere specialem in homine potestatem, & habitationem propter peccatum originale. Quo argumento vitur etiam Optatus Mileuitanus lib. 4. contra Parmenianum. Eiusdem ceremoniam meminit Isidor. lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 21. vbi ait, exorcismum esse increpationem contra immundum spiritum: quia eius virtus, & violenta incurfus arceretur, seu fugatur. De eadem tractat Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 1. & Nazianz. oratione 40. in sanctum Baptismum. Ambros. lib. 1. de sacramentis cap. 5. Leo Pap. epist. 4. cap. 5.

Explicat autem D. Th. in particulari varias ceremonias, quibus hic exorcismus catechumenorum perficitur. Prima est, exufflatio demonis, quam expresse ponunt Dionys. August. & alij. Hæc autem exufflatio per Ecclesiæ ministros fit, ad significandum effectum exorcismi, qui est, quedam demonis expulsio. Vnde videtur de ratione illius esse, vt fiat a ministris exorcismi. Vnde August. de Ecclesiast. dogm. c. 31. dicit: Exufflationibus Clericorum spiritum immundum abigi, tam a paruulis quam ab adultis & idem significat li. 6. contra Iulianum c. 2. & aliis locis supra citatis, vbi semper docet, hanc exufflationem fieri ab Ecclesia per ministros suos: at vero Dionys. loco citato significat, ipsi summet catechumenum baptizandum, si esset adultus, solum esse ter exufflare demonem, verba eius sunt: Deinde cum illum Occidentem versus attendentem, manusque porrigentem collocauit, tunc iubet tertio fatanam insufflare, & præterea, quæ abrenuntiationis sunt, profiteri, &c. Sed si proprie loquamur, exufflatio proprie pertinet ad ministros: fit enim ad significandam efficaciam: vnde habet increpationem & imperium adiunctum his fere verbis, Maledicte exi foras, vt Optatus supra notat: fortasse vero adulti catechumeni etiam exufflabant, veluti consentiendo, aut certe ipsamet abrenuntiatione facta à catechumeno dicitur quædã eius insufflatio. Secunda exorcismi ceremonia est: manus impositio cum benedictione sacerdotis: qua significatur, vel et imperatur, vt demoni præcludatur via, ne iterum redeat, sicut D. Th. notauit: huius vero ceremoniæ, quoad manus impositionem, meminit Clemens Papa 1. 7. constitutionum Apostolicarum. c. 39. & 40. & Concil. Hispal. 2. c. 7. & Carthaginense 4. c. 35. & Aug. 1. 2. de peccatorum meritis, & remiss. c. 26. vbi ait: Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi & orationem manus impositionis sanctificari: quibus verbis significat, hanc manus impositionem habuisse coniunctam orationem sacerdotis, & signum crucis: & hanc forte vocauit D. Th. benedictionem sacerdotis, quod sumptit ex Dionys. loco citato dicente: Rursus cum precatus est, eum benedicit, manusque imponit. Tertia ceremonia est, sal in os baptizandi missum: qua ceremonia, aut diuinæ sapientiæ infusio, aut fidei confessio significatur, vt colligi potest ex Orig. hom. 6. baptizandi in Ezech. circa illa verba, cap. 16. Aqua non est lota in misso, salutem, nec sale salita. & August. li. 1. confessionum, cap. 11. dicente: Signabar iam signo eius, & condiebar eius sale. Clarius ex Beda lib. 2. in Esdras, capit. 9. habetur in cap. Sal celestis sapientiæ, de consecrat. dist. 4. & ex Isidoro lib. 2. de officiis, cap. 20. in Conc.

Dionys.  
Calesy Papi.  
Conc. Brac.  
Chrysost.  
Aug.

Opt. Mil.  
Isidorus.

Cyrril.  
Nazianz.  
Ambros.  
Leo Pap.

De ceremoniis exorcismi.  
Exufflatio.  
Dion.  
Aug.

Optatus

D. Thom.  
Clemens.  
Conc. Hisp.  
Conc. Cart.  
Aug.

Dion.

De sale in os  
fessio significatur,  
vt colligi potest ex  
Orig. hom. 6. baptizandi  
in Ezech. circa illa verba,  
cap. 16. Aqua non est lota  
in misso.

Orig.  
Aug.  
Beda.  
Isidor

